



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quomodo credens habeat vitam æternam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

vituperium accipiat. quamvis illorum sententia maxime ista hic dissolvatur. Accessit ad eum leprosus genua flectens, & dicit, Domine si vis, poteris me mundare, hunc igitur non reiecit Saluator neg, locutus est, quid blasphemias? cum dicit si vis, ac potius non debes: Quid ergo? nonne approbavit professionem eius fidei? nonne eiusdem mutata syllaba salutem illi contulit? dicens, volo, mundare. Volens purgat lepra, volens vivificat mortuum. Voluit & excitavit Lazarum.

Idem Epist. de Synodis Arimin. & Seleucia probat hominem factum eisdem ex verbis. Laodicea coram probo legato Constantini cum Ario etiam congressus ad hunc locum respondit. Arij verba sunt. Si maiorem habet, si spontanea voluntate non venit, si suam voluntatem non fecit, &c. aquum non videtur, ut qui de sua subiectione tanta ac talia dicit, patri efficiatur aequalis. Resp. Athanasius. Christus filius Dei, in forma servi, quam assumpsit ex virgine patri dicitur esse subiectus, &c.

VERSUS 39.

Hac est autem voluntas eius, qui misit me Patris: ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo sed resuscitem illud in novissimo die.

QUESTIO I.

Quae patris voluntas?

§. 1. **D**uplex est Graecae lectio, alij libri habent, ὅτι, ut Augustinus, Theophyl. Euthym. alij ὅτι γὰρ, ut Chrysostomus, Cyrillus. Eodem tamen recurrit sensus. Firmum enim esse demonstrat, quod dixit. Nempe se neminem eiecere foras. Pater enim neminem vult perdi, cuius est immota definitio: cum vero ipse voluntatem Patris semper faciat, non potest perdere quos salvos vult pater. Alludit ad filios frugi qui hereditatem paternam non minuunt, non dilapidant, Christi autem hereditas sunt electi; Electionis itaque firmitas à patre est, non ex nobis, ut optime Bellarminus l. 2. c. 10. de gratia & libero arbitrio, non inde tamen sequitur quoniam esse certum de sua electione, ut Calviniani nugantur, nisi de electione antecesserit revelatio. Non perditurum ostendit; etiam enim moriantur more aliorum hominum, in novissimo tamen die eos se resuscitaturum affirmat, quo etiam evidenter divinitatem suam demonstrat; nam solius Dei est resuscitare mortuos.

VERSUS 40.

Hac est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis qui vidit Filium & credit in eum habeat vitam aeternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.

QUESTIO I.

Quomodo credens habeat vitam aeternam?

§. 1. **P**ro particulâ autem, Augustinus, Cyrillus, Beda legunt: Enim, in Graecis δὲ, autem, retinenda lectio visitata. Cautam reddit cur eos sit resuscitaturus; voluntas enim patris est, ut possideant vitam aeternam. Quum nisi reuiviscant, habere non valent. Vita viventium est, non mortuorum. Itaque & Tertullian. pro resurrectione hinc ducit argumentum. l. de resurrect. c. 34. Porro autem recipimus anima immortalitatem, ut perditam non in interitum credatur, sed in supplicium, id est, in gehennam. Et si ita est, iam non animam spectamus.

bi salus saluam, scilicet suam naturam per immortalitatem, sed carnem potius quam interibilem constat apud omnes. Aut si anima interibilia, id est, non immortalia, quod & caro, iam & carni forma illa ex aquo proficere debet, preinde mortali, & interibili, quod quod perit saluum factum est Dominus. Nolo nunc contentioso sume deducere, hac, an illas hominem perditio deposuisset, dum viring, eum salus desinet, in ambiguitate substantia per aqua. Ecce enim ex qua una substantia homo per se presumptus, ex altera non perit. Salus ergo erit tam ex qua non perit, utique, non erit perditurus. Quis ultra de viri substantia securitate dubitavit, cum altera salutem consequatur sit, altera amissa eam non sit? Et tamen adhuc sensum rei exprimit Dominus: Ego, dicens, veni non vi meam, sed vi patris qui me misit, faciam voluntatem. Quamoro te: vi me quod dedit mihi non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in novissimo die. Quid à Patre Christus accipiat, nisi quod & induerat? hominem sine dubio carnis animaeque texturam. Neutrum ergo eorum qua accepit, perire patitur: immo nec quicquam vitruis, immo nec modicum, quod si modicum caro, ergo nec carnem, quia nec modicum, nec quicquam quia nec quicquam. Atqui si non & carnem resuscitabit novissima die, iam non modicum patitur perire de homine, sed pro tanta dixerim prope totum. Ingerens amplius, hac est patris voluntas, ut omnis qui vidit filium, & credit in eum, habeat vitam aeternam: & resuscitem illum novissima die: pietatem enim extruxit resurrectionis. Distribuit enim virg, substantia per officia propriam mercedem salutis, & carni per quam filius aspicietur, & animae per quam crederetur. Ergo dicit, illi erit promissum, à quibus Christus videbatur. Sit plane ita, ut & ad nos eadem spes emanaverit. Nam si videntibus & dicentibus fructuosa tunc fuerunt opera carnis, atque animae, multo magis nobis.

§. 2. Non est satis etiam clarum quod ait, qui vidit filium, & credit, & credidit ad rerum coelestium confirmationem pertinet. Beza duplicem hic cognitionem fingit. [Sed notandum est ex hoc loco, duplicem esse cognitionem Christi, unam universalem quae etiam à diaboli praedicti credere dicuntur. Iac. 2. 9. alteram fidelium propriam, quae sibi applicant promissiones generales. Ideo cum dixisset Ioannes δὲ ὁ πατήρ, addidit, καὶ ὁ υἱὸς.] Resp. Verissimum esse & credidit esse rerum divinarum, et si nusquam sic intelligeretur, hic tamen locus eum intellectu requirit. Non omnis autem, qui Christum & credidit contemplatur, eiusque gesta perpendit, etiam credit. Pharisei nobis exemplo Christum videntes & gloriae eius invidentes. Quod autem & credidit, & credidit cat fide generalem, & credidit, in eo fallitur. Nemo enim adeo stolidus est, ut generales promissiones sibi applicet, eo solū quod generaliter reuelatae sunt. Credentes habebunt vitam aeternam, & non quovis modo credentes, sed viva fide, per caritatem operante. Hoc ratum est, oraculum est, an ea fide hic vel ille praedictus sit, non potest nisi per revelationem constare certo. Nam generales promissiones non nisi positae conditionibus in singularibus ratae sunt. Nec Christus huiusce populi dicit: ut certi sint, non enim sensus est. Videte, hoc credite generali fide, vera esse, quae doceo. Et credite, hoc est, Persuadete vobis, vos electos esse. Frustra enim moneret, ut se electos crederent, si sciret ipse electos non esse. Non enim Christus est securitatis Christianae pulvillus cōsuere, sed Othonis Calmanni. Quod Caluin. fidem non confusam, & inanem requirit, tandem mereretur, nisi de fiducia intelligi vellet. Quod ait nos credere, quod libuerit, calumnia est.

§. 3. Calvinus ex eo, quod credentibus vita aeterna promittatur, ex fide colligit praedestinationis certitudinem. [Ergo sua cuique fides, inquit, aeternae Dei praedestinationis locuples testis est, ut altius inquirere facile legi sit, quia atrocem Spiritui S. iniuriam facit, quod quis simpliciter testimonio subscribere detrectat.] Respon-

Respondeo. Caluini non vnum, sed plura hoc loco errata esse. Nam primo per fidem intelligit illam particularem fiduciam, quā quisque credit, se iustum esse, & predestinatum. Nam alia quæcumque fides ad salutem non sufficit, vt ipse scribit. Deinde sacrilegum non est, altius de suā predestinatione inquirere. Nam reuera considerandum est cuique; an timeat, amet Deum, foueat proximum, pauper sit Spiritu, mitis, mundo corde, persecutionem patiatur propter iustitiam, an ex cedere illis bonis possit, si habere se cognoscat. Hæc examinari omnia, aliaque opera iubet Spiritus sanctus, an ex Deo sint? Tertio in hodiernum vsq; diem testimonium Spiritus scriptum quaeritur, quo testetur, hunc vel illum predestinatum esse, cui omnes, quisque suo cupidissime subscribet. Cum ergo in sacris literis testimonium de singulis non inueniatur, subscribi non potest à priuatis. Quarto ceteri Caluiniani non solā fide nituntur, sed alia quoque adhibent criteria. Nam Beza in Colloquio Mompelgartensi plures motus enumerat. [Quod ad consolationem attinet, in summis temptationibus afflictas conscientias non spoliamus, sed eam quæ in sacris scripturis proposita est, exponimus. Sic enim ego dicerem afflictō, & perturbato homini. Tu de gratiā Dei non dubites; nam quia te Deus per predicationem Euangelij ad agnitionem filij sui vocauit: nōne sensisti aliquoties in te tales motus, quod te peccatorum tuorum poeniteat? quod fiduciam tuam in Christo colloces, quod sancte viuere, res aduersas patienter ferre, & ad æternum filij Dei regnum aspirare cupies. Hi motus sunt filiorum Dei, quos si sensisti vnquam, non dubites, te etiam in numero electorum esse, & propitium Deum habere.]

At non potest ex hisce certi quicquam colligi, nam similes motus in reprobris esse possunt, vt Calvinus fatetur. Denique illa sibi fiducia repugnat. Fiducia ita loquitur: Predestinatus sum, vnde nosti hoc carcerum Dei de te consilium? Quia credo. Quid credis? Me predestinatum esse? Hæc fides est, quā saluamur: imo hæc mihi locuples testis est predestinationis, aliud quaerere est sacrilegium. Sed tamen credis te predestinatum? quid porro causa est, quæ te mouet, vt credas te predestinatum? quia credo, fidem meam video. Itaque credis te predestinatum, quia te predestinatum credis. Vel sane vides te hoc credere, at sane non potuit te hoc mouere; nam prius credebas, deinde te credere vidisti, certus es, quia certus es, nam quod de poenitentia, & bonæ vitæ proposito Beza scribit, nugæ sunt; secundum genuinos Caluinistas enim poenitentia fide posterior est. Hæc contra Caluini fiduciam, Brentius magis miratus sum, qui cum anxias hominum de predestinatione dubitantium cogitationes retulisset, eos consolatur, & certos reddere conatur, eo quod fidem habeant; nec timendum etiam ne fidem amittant. Hoc inquam ridiculum est, cum Lutherani fidem amitti posse, & iustitiā doceant. Et Iacobus Andreæ id manifestè protestatur in eodem Colloquio, pag. 467. [Ego si sentio; si Nathan non corripuisset Dauidem, neque Dauid poenitentiam egisset; nunquam saluatum fuisse. Nam post concionem Nathan, demum inquit; peccauit. Et postquam absolutionem accepit: Dominus transiit peccatum; tum demum orauit. Et Spiritum sanctum ne auferas à me, à quo certe ablatus erat, quam diu in illā securitate vixit.]

Ista igitur more Caluiniano Brentius, at non persuasit Lutheranis Iacobo Andreæ, nec i lustrissimo Principi Wittenburgensi. Nam negant ex his motibus posse consolationem per pag. 470. Imo aiunt sæpe deficere illos, qui gratiam acceperunt. [Eadem est pag. 477. in infantibus omnibus in Ecclesiā natis.

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

Quotquot enim baptizantur Christum induunt, & vere in filios Dei adoptantur, Spiritu sancto donantur, & promissio gratiæ in illis obsignatur. Sed quando adollescere incipiunt, fieri potest, vt negligentia parentum, aut propria petulantia Spiritum sanctum iterum amittant, & gratiā Dei spoliuntur semel acceptā.]

Explicat hoc exemplo Saulis, quem in circumcisione dicit vere in filium Dei adoptatum, quam adoptionem non modo significatam, sed oblatam esse dicit: Et pag. 481. Non certam, sed probabilem spem, concipi ex motibus, quos Beza recensuit, & in summis temptationibus ita obscurari vt nihil inde consolationis accipiant. Inter se igitur mirifice pugnant, & cum Caluinianis Lutherani, & inter se. Dum certitudinis suæ signa nulla nisi incerta dare possunt, quæ ab alijs reiiciantur. Si enim incerti sunt, cur iubent parentes esse certos,

Lutherani incerti.

VERSUS 44.

Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

QUESTIO I.

An nemo veniat nisi pater traxerit eum?

§. 1. **M**urmurantes, longe enim erant à pane, vt ait Augustinus. Murmurare hereditarium erat Iudæis, patres eorum annos quadraginta in deserto murmurarunt, licet pane cælesti pascerentur. Est autem murmur incondito sono vox, ex impatientiā, indignatione, alioue vitio profecta, cum iniquè aliquid dici, vel geri videtur, cum id cæteris, aut mutuo queruntur. Iesus se panē à cælo venisse asserit, filium indignam clamant, cum constet esse filium Iosephi: nomen Iesus in Græcis est, in Latinis non est, nec in Chrysostomo. Cum ergo Iosephi filium esse iudicent, etiam spes prandij præcis esset, mox Messiam esse negant; nam potentem aliquem instar Salomonis, aut Alexandri, quærebant, qui rerum potiretur, Romana potentia sublata. Hæc de causa murmurantibus, nullamq; miraculorum rationem ducentibus, Christus in sermone instituto pergit, vt ostendat eos à patre non trahi, ideo nec venire, non doceri à Deo, sed in stupore, ac delictis hære.

Murmurantes quid.

Qualem Messiam quærentes.

§. 2. Grauis hæc est, & religioni contra Pelagianos defendendæ sæpe usurpata à patribus sententia, olim etiam à Manichæis, & nunc Caluinianis ad errores detorta. Christi propositum est toti Ecclesiæ gratiam diuinam commendare, & superbum Iudæorum murmur compescere, auctoritate diuina, nolite inquit murmurare, & insurgere contra me, quasi filium Iosephi, sed toto animo contemiscite; nam ideo mihi exprobratis genus, & miracula contemnitis, quia pater meus qui est Deus, non Iosephus vos non trahit, si ille vos traheret, & gratia dignaretur, iam veniretis. Quia vero non trahit, vos non venitis, supplices patrem meum veneramini, vt vos trahat. Sic Augustinus. Tract 26. in Ioan. Semel accipe, & intellige; non traheris, ora vt traharis. Quamuis orare non possint, vt trahantur, nisi ad orandum tracti. Cum ergo Christo maleuolè obiecerent patrem hominem, pauperem, fabrum, ille è contrario, negat illum sibi patrem esse, sed Deum patrem esse asserit, cuius in manu sit trahere ad salutem, & deserere; qui dixit miserebor, cuius miserebor, &c. Deum esse indicat, sequenti versu; erunt omnes discipuli Dei; & subiungit; omnis qui audiuit à patre meo, & dicit,

Orandum vt traharis.